

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Abimelechi, Regis Gerarensis Saram domum ducentis
Apologeticus**

**Hochstetter, Andreas Adam
Langenhan, Johannes Kaspar**

Tubingæ, 1699

urn:nbn:de:bsz:31-102508




Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

65720





ABIMELECHI,
REGIS GERARENSIS

Saram domum ducentis

APOLOGETICUS,

JUVANTE CHRISTO

Praside

DN. ANDREA ADAMO HOCHSTETTERO,
Moralium P. P. Ordinario,

DISSERTATIONE MORALI

expensua

à

JOANNE CASPARO LANGENHAN,
Nürtingensi.

D. XII. Augusti 1699.

TUBINGÆ,

Ex Typographico Jo. CONRADI REISL.

(1699)

VIRIS

*Muneribus, Integritate atque sedulitate
admodum estimandis,*

DN. JOH. VALENTINO LANGENHAN/
Ordinis Senatorii Nürtingensis ob canitiem
Venerando.

DN. MICHAELI MAZER/ Consuli Blochingen-
sium prudentissimo, atque Chirurgo Experien-
tissimo.

DN. JOHANNI CASPARO ANGREY/ Se-
natori apud Kircho. Teccenses spectatissimo at-
que Mercatori optimo.

DN. JOHANNI GEORGIO LANGENHAN/
DN. JOH. LUDOVICO LANGENHAN/
Mercatoribus Nürtingæ clarissimis.

*Parenti suo Dilectissimo, Affinibus Ho-
noratissimis, Fratribus Germanis Aman-
tissimis*

PAGELLIS HISCE ACADEMICIS

beneficiorum munusculorum ponere voluit

JOHANNES CASPARUS LANGENHAN,
Magisterii Candidatus.

2 an Gym 211

z v



§. I.



Udito, quod Sara peregrinantis in Gera Gen. XX, 2.
 re Abrahami Soror esset, misit confestim, qui ei Re- fig.
 gioni cum imperio præerat Abimelechus, eamque
 domum ductam ibi retinuit, donec à DEO per so-
 mnium monitus reprehensusq; Marito redderet. Ubi
 quidem innocentiam suam prætexit, se deceptum
 Abrahami aquivocatione inquires, quàm hic inter-
 rogatus dixerit, sororem hanc suam esse. Quo ipso

nec se hoc latere respondit Deus, proinde per morbum immissum cohi-
 buisse, ne conjugatam attingeret, seque adulterio pollueret. Conferantur,
 quæ in Abrahamo Matrimonium dissimulante dicta sunt §. 2.

Age excerpamus nonnulla, & Morali expositione illustremus. Et Pri-
 mum quidem in eo cordatorum assensum haud inveniet Jacobus Bouldu-
 cus, Parisius, Ordinis Minorum Capucinorum Prædicator, Abimelechum
 sanctissimum adpellans Regem, qui *nullo libidinis astu ductus, sed ex
 merâ ferventique devotione Saram rapuerit, sperans se fore beatum,
 si posset frequentius conversari, deque rebus divinis familiariter tractare
 cum tam sanctâ, venerandâ, & religiosâ muliere, quæ tam à suo san-
 ctissimo Fratre Abrahamo, quàm ex diutinâ cum Deo conversatione praxi-
 que virtutum in Hebræorum consortio reslorescente didicisset.* Itaque Re-
 gem petiisse eam tanquam futuram conjugem, ut in sorore etiam vetulâ
 illum honoraret, & per multum tempus suavibus ac divinis, quæ præfec-
 tim adfectârit, fruitum esse colloquiis.

Scilicet hæc somnia sunt *Capuccini suavitè delirantis*, quorum pro-
 in vel mentionem fecisse suffecerit: Tantum abest, ut proluxâ refutatione
 egeant. Nempe tanta fuit hujus Regis ejusque subditorum pietas, ut ne-
 minem inter ipsos DEI timentem collegerit Abrahamus, sibi que ac vitæ
 suæ ob uxoris pulcritudinem metuere necesse habuerit. At quid metu opus,
 ubi tam sanctus Rex imperat? Potuisset Abrahamus pio Principi quoti-
 dianam cum Coniuge conversationem piæque colloquia indulgere, ut eam
 sibi nihilominus uxorem retineret. Et quid multis? Ponderetur gentis
 improbitas & divina reprehensio, & mortis pœna, nî Sara reddatur, seve-
 rissimè pronuntiata; nihil habebit, cui innitatur Monachus.

II. Igitur intemperantiæ utique in Abimelecho documentum fuit, peregrinam muliorem, eò tantùm, quod forma ejus jactaretur, appellere & rapere. Nempe si rem rectè libremus, ita colligisse Abimelechum pro perditissimâ ejus gentis consuetudine, cum Roberto Sanderfano, censemus: Si formosa hæc mulier, quam peregrinus iste secum duxit, matrimonii vinculo nemini alligata est, non erit scelus cum istâ commiseri. Quod ipsum ex recepta inter Gentes, rectæ rationis dictamina negligentes, promiscue fornicationis licentia fluxit: Apostolo quoque damnata Eph. IV. 18. 19. tametsi non inter omnes; Nam de Indis Petrus de Valle docuit, scortationem etiam simplicem grave ipsi peccatum haberi: Quò deterior illius ap. Terentium sententia est, qui non esse flagitium dixit, scortari adolescentulum; & Cicero: Quando hoc non factum? Quando reprehensum? Quando non permissum? Datur omnium concessu. Solenne certè hoc vitium Corinthiis fuit, quibus domandis varia conglomeravit argumenta Gentium Doctor, eâ quippe perversâ opinione seductis, scortationem æquè indifferentem esse, ac cibus sine noxâ accipiat. Unde & *νεεαβλια* pro scortari in proverbium abiit, & *ετιμα νεεαβλια* habet Aristophanes, quasque supra mille ad Veneris sanum prostare, quod est in Corintho, memoravit Strabo. Dolendum damnatam hanc sententiam orco reduxisse è Romanensibus nonnullos, qui fornicationis turpitudinem inficiantur, quos inter eminent Durandus & Tamburinus, quem refutavit Crespinus à Borgia, ex Archidiacono Saguntino factus Episcopus Oriolensis. Urgent Thomistæ hoc imprimis argumentum: quod fornicari a copula vergat in detrimentum proliis probè serende & educande; Igitur humana consociationi eam repugnare, & propagationem generis humani Legibus connubiorum circumscribendam, si quidem decora & ritè composita inter homines societas existere debeat. Excepit Caramuel: Nihil probari, quia subinde contingat prolem fornicariè conceptam providè nasci & educari; Ergò in eo casu licitam fore fornicationem. Verùm intuenti Thomam adparebit, hanc eum sibi ipsi objectionem formasse, quùm ait: Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit sub Legis determinationem, judicetur secundum id quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo saltem casu potest accidere: seu quod idem est, quod proles fornicando genita aliquando rectè educetur, id furtivo concubitu est *accidentarium*; prava vetò educatio eidem est *nativa*. Nos de hac questione hæc ex professo non

In his Sermons on the present passage, p. 269. seqq.

Pufend. J. N. & G. VI. 3, 4.

tractamus: pramittenda tamen de statu Abimelechi fuere; Id tantum monuisse contenti, graviter id vitium perstringere Clementem Alexandrinum, qui ita: Τὸ μὴ εἰς παῖδας γονήν συνίεναι, ἐπιβουζεν ἐπὶ τῆ φύσει. ἢν καὶ διδάσκαλον ἠπυροφομήεις τῆς σοφίας τῶ καιρῷ ἠπυροφῆν παιδαγωγίας. Plura in eo legantur *Pædag. L. 2. p. 194. 195.* Caterum & id ex adverso colligimus, *Adulterii turpitudinem ne quidem gentibus ignotam fuisse.* Dicit enim Abimelechus, se non ducturum fuisse Saram, si de ejus matrimonio sibi constitisset. Sunt nonnulli affectus, ait Aristoteles, qui continuo nomine suo cum pravitate sunt connexi, ut malevolentia: & actus iidem, ut adulterium, furtum, homicidium. Hæc universa, & talia ita dicuntur, quia ipsa sunt prava & non sola eorum exuperationes & defectus. Circa talia nullum est tempus rectè agendi, sed semper delinquitur. Hæc philosophus homo iis de nationibus, quibus judicia sua non manifestavit Deus, nisi in quantum Lege Naturæ eas instruxit; quò magis est detestandus ille Jesuitarum articulus à Scholâ Lovanicenti rejectus: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium.* Quid? nonne igitur, si cum alio Viro, vivente marito, fuerit, vocabitur adultera? Nonne ad hoc sufficit, ut mulier alteri commixta dicatur adultera, si vivat Vir ejus? Vivit enim Vir etiam, qui consentit in copulam suæ uxoris cum alio: Ergò illa dicenda erit adultera. Vide disputantem contra suosmet Sinnichium.

*Saul ex Reg.
1. 112, 425,
p. 408.*

III. Sed audiamus *secundò* Abimelechum innocentiam prætextentem. Incepanti Deo, & *en, morieris*, iniquenti, *propter mulierem hanc quam rapuisti*: respondit: Domine num gentem ignorantem & justam interficies? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est! & ipsa ait, Frater meus est. In simplicitate cordis & munditia manuum mearum feci hoc. Quin ipse Deus respondit: *Et ego scio quod simplici corde feceris.* Ex his ad stateram moralem adpenis, arguo: *Dari omninò ignorantiam, quæ certo modo & gradu veniam aut excusationem delicto inducit.* Provocat sanè ad hanc ignorantiam suam Abimelechus, eamque tanquam fundamentum integritati suæ substernit, neque se, inquit, aliter à Sara ejusque Coniuge edoctum esse, quàm quod soluta sit. Deus quoque ignorantiam ita intuetur, ut Abimelechum simplici corde egisse agnoscat. Quæ res uti dextrè capiatur, ad vexatam inter Doctores Moralium quæstionem: An & quousque error sive ignorantia excuset peccantem, vel saltem peccatum emolliat? Supponimus, requiri ad peccatum, ut sit *voluntarium* saltem ta-

*Quo quisque
miseri/psit,
cò dæretur*

*delinquit.
Greg. in pa-
storalis.*

dicaliter, & quo id magis vel minus voluntarium est, eò graviolem vel leviolem ejus culpam cenferi. Igitur *gradus peccatorum* dari, nec admittendam aequalitatem vitiorum. Namque uti duo ferè funt, unde humanæ aétiones profiunt: Intellectus nempe & voluntas; ita quæ errorem *illius* originem habent, peccata ignorantie; quæ verò *hanc*, voluntatis scilicet vel affectuum impetu abreptam sequuntur, infirmitatis: Vel quæ denique studio ac datâ operâ committuntur, proteretica & in sacris elatâ manu facta dicuntur. Igitur peccata proteretica extra controversiam gravissima sunt, & nullam penitus exculationem admittunt. In iis enim *aétionis perfecte moralis principium proximum est* *ex eo* *peccati*, cujus ut varii sunt gradus: ita ex ejusdem consideratione de malo majori vel minori judicare non erit difficile. Porro & id observamus: Non omnem ignorantiam vel errorem ubique & plenè peccatum excusare. Quin & ipsam *primò ignorantiam esse peccatum*; Poterunt Sacrorum Interpretes urgere preces Sanctorum pro remissione ignorantiarum; neque enim rei indifferentis *QUA TALIS* deprecatio est: Adde 1. Corinth. XIV. 38. Unde & à Christo reprehensa Joh. III. 10. Nos id solùm moneamus: Quæ quis tenetur scire, ea ignorare utique malum est: & quod sapè causat peccatum, id ipsum non caret malo. Ut non dicam errorem intellectus hoc ipso, quo est error & deflexio à semita veritatis malum esse. Ex quo & illud *secundò* elicio: *Ignorantiam secundum se peccatum esse, non in voluntate solùm, sed & in intellectu connumerari*. Adde Thom. 2. dist. 22. qu. 2. art. 1. quia recte rationi disforme est, vel errare quomodounque quod etiam physicè recta veræque rationi advertitur: vel ignorare ea, quæ scire Te oportebat aut operari. Ubi tamen non insuper habendum, quod de conjunctâ cum ignorantia & inconsideratione Negligentiâ discendi monuit Martin. Bresser. de Conscient. V, 5. 474. b. Quò deterior erit habendus *error positivus*, quàm plus dedecet hominem opinari falsum, quàm verum nescire. Addo tertio: *Ignorantiam rerum quæ sciri possunt ac debent, specialem esse peccatum contra virtutem suam ipsam*, quæ dicitur virtus moralis ac species temperantia, respiciens medium inter excessum sciendi, spectantem ad curiositatem: & defectum, qui ad pigritiam: ne quis plus sapiat, quàm oportet, sed sapiat ad sobrietatem. Quorum egregie idem Thomas d. l. Unicuique, inquit, peccatum est ignorantia eorum, quæ ad bonos mores pertinent. Itaque & illi peccant, qui quæ sui essent muneris ignorant, in eoque felici successu destituuntur. Horum Catalogum

gum bene longum recenset Brefferus; in quo de Medicis Corporalibus, *de Conf. V, 8,*
 quos vocat, & Spiritualibus instituta collatione concludit: Peccare gravius *488, a, b.*
 Medicos Corporales, si ex imperitiâ occidant unum corpore, quàm spiri-
 tuales, si occidant unum animâ. Rationem dat, quia hi directius occi-
 dant corpora, quàm Medici spirituales animas. Peccata enim, in quibus
 fita sit mors spiritualis necessariò esse libera peccatoribus, qui spiritualiter
 occiduntur, adeoque ipsis proximè imputentur. Aliam longè esse ratio-
 nem de morbo & morte corporali: quæ non pendeat à liberâ vel propriâ
 voluntate morientium, sed ignorantia Medicorum. At *Nobis profectò*
aliter videtur: quidni enim is, qui animas negligit, qui pro verbo DEI
 paleas stipulasque proponit, qui officio dehortandi monendique sedulo
 non defungitur, directè existimandus sit occidere animam, à quo se ne-
 glecti sanguinem repetiturum ipse Deus comminatur? Vigili sanè negli-
 genti, quicquid in urbem redundat, imputatur. Ezech. XXXIII. 2,
 3. & quò nobilius est depositum, eò severius injuncta illius custodia cen-
 setur. Nec obstat, quod liberè à damnato peccatum sit, namque & hæc
 ipsa vigilis negligentia voluntaria est. Forlan verò *Lojolita Fratribus*
Ignorantia, seu illi Monachorum generi prospicere voluit, qui *nihil scire*
summum hominis bonum opinati sunt, referente Hospiniano: aut Mona-
 chis Eremitis Hieronymi de S. Observantiâ, quibus in exordio scientiarum
 studia prohibebantur, ut magis dediti essent solitudini, memorante Fr. Che-
 rubino; qui idem se hoc legisse dicit in primitiva hujus Ordinis regula.
 Quartò neque hoc præmittendum: *Dari nihilominus errorem, qui*
vel penitus excuset, vel certo gradu ac modo. Utrumque Abimelechi
 exemplo patescit. Namque ignorantia ejus fuit & *in Universali sen Juris,*
 quia superintroducto pravo habitu ignoravit fornicationem simplicem esse
 peccatum, vel saltem pro noxâ levissimâ habuit; & *in particulari sen fa-*
cti, concernens personalem Saræ conditionem, cujus ad Abrahamum re-
 lationem plenariam ignoravit; Sororem quidem esse autumans, Conju-
 gem non item. Prior ignorantia certè fuit *voluntaria, adeoque vinci-*
bilis: Habuit enim utique Rex Gerarensis communia & insita mortali-
 bus Legis Naturalis principia: quorum Lumine si rectè uti velit homo,
 præcisâ etiam revelatione consideratus, & ab affectuum, perturbationum-
 que intemperie liber, vel in ipsâ simplici fornicatione ejusmodi deprehen-
 det à Naturâ disconvenientiam, quæ de ejus turpitudine animum suffici-
 enter convincat. Breviter: nescivit id quod scire poterat ac debebat. Ergò
 vincibiliter, consequenter cum noxâ ignoravit.

*de Orig. Mo-
 nachorum
 c. LXX.
 Compend.
 Bullar. in
 Scholis ad
 Bullam XX.
 Clementis
 VIII. Anno
 M D X C III.*

IV. In-

IV. Interim ipse hic error *excusabilis fuit à TANTO*, quod ajunt, non à *TOTO*. Licet enim adfectata fuerit ignorantia, non tamen simpliciter talem fuisse historia docet. Equidem Lex Naturæ turpitudinem fornicationis sufficienter ostendere poterat, quippe graviter eam prohibens: interim illud Luminis, quidquid supererat, Naturalis, in præsentî causâ ita involutum tectumque fuit tenebris, ut difficilius haud paulo cavere sibi ab iniquo potuerit Rex, quàm aliis in casibus, naturalem, verbi causâ, æquitatem, & justitiam commutativam concernentibus. Quorsum & *opinio communis* & *longa temporum consuetudo*, atque *consensus multarum gentium* (sed corruptus ille & nequaquam à scelere immunis) accessit, tantumque effecit, ut promiscua scortatio parùm aut nihil delicti habere censeretur.

V. Ex quo & illud manifestum esse arbitror, *nequaquam ab errore absolvere gentium errantium consensum*, multò minus Licentiam aut Jus inferre. Quod multis ac luculentis exemplis ostendit Georgius Calixtus in Theologiâ Morali. Nempe adeò fieri facile potest, ut pravæ consuetudinibus, veluti torrente quodam homines cetera honesti tam vehementer abripiantur, ut in ipso peccato Naturali Legi repugnante secura tranquillaque fuerit Abimelechi conscientia, & vix stimulum sensit videretur, licet fornicationem committere tentârit: eâ nimirum ratione potissimum inductus, quod nemo sua de gente esset, qui religioni sibi diceret, isti in exercendis libidinibus licentiæ passim receptæ usque jam probatæ indulgere. Hoc certè aliquid Voluntarietatis (sit verbo venia) peccato Abimelechi demit satisque declarat, tot circumstantiarum congeriem ejus ignorantiam haud parùm excusare.

VI. Ostendi demum & illud hoc exemplo in praxi potest, quod vulgo dicitur: *Rarò solitarium errorem esse*. Nempe uti rerum series ita conceptus quoque nostri à se invicem pendunt, quorum si unus deviet, illi, qui sequuntur, non possunt non eodem modo duci. Ita semel admissa persuasione de simplicis Fornicationis licentiâ Abimelechus in hunc errorem lapsus est: non aliter atque si particula crescentis tami à solida rectitudine declinet, continuò alia attrahuntur, eodem ductu declinantur.

VII. Fuit de Ignorantiâ Juris, quam in Abimelecho deprehensimus. Quæ tamen si Culpæ reum faciat, nec nisi certo modo Regem Germanicem excuset; de altero tamen errore sive Ignorantiâ facti. liter crit
pro-

pronunciandum. Solet nimirum ea vocari Ignorantia Facti, quum, quid contigerit, ignoratur, aut quæ actionis circumstantiæ fuerint. Quasi prævidere quis non potuit aut debuit, excusatur, cum dolo careat, & conjunctam habeat poenitentiam. Supra jam monuimus, duas esse animi humani præcipuas facultates, cognoscentem unam, alteram appetentem. Quæ an realiter differant, an solùm ut convexum & concavum, ad præsens quidem institutum nil attinet: tametsi Scaligero anima videatur dicere essentiam: Intellectus ea ipsa essentia, ut adprehendit: Voluntas idem, quod essentia intelligens, atque extendens sese ad illam rem cognitam potiundam; Id potius nostrâ refert, supponere; quia nihil appetimus, nisi quod ceteri bonum fuerit cognitum, necessum esse utraque facultas ad actiones hominis liberæ & spontaneas ut concurrat; ita quidem ut si alterutra desit, actio illa sit imperfecta & invita. Igitur quot modis Intellectus aut Appetitus potest impediti, quò minus in actionem influat: tot modis illa redditur invita. Id Aristoteles duobus modis contingere ostendit: *ἄνευ δὲ, ἢ ἀνεπιστάτως*, *ἀνεπιστάτως ἔντι, τὰ βίη ἢ δι' ἀγνοίας*. Invita videntur esse, quæ vel per vim, vel per ignorantiam. Breviter quidem, sed nervosè. Nempe vel Intellectus impeditur, quò minus cognoscat id, quod scire debebat, unde oritur Invitum, quod vocant per Ignorantiam: vel appetitui extrinsecus ejusmodi vis injicitur, ut non possit agere, quæ velit, sed talia quis agere videatur aut pati, à quibus illius voluntas refugit; quæ inviti per vim origo est. Quod quidem tale non censetur, nisi prorsus nihil à vim passò adjumenti adferatur, cum quod à scientia, tam quod ab appetitu proficisci potest. Alterutrum enim si fiat actio invita non est, quia subsequenti voluptatis significatione & quadam quasi RATIOHABITIONE comprobatur. Uti si quis tendendum se alteri commiserit, hicque ei, impulsu licet alterius, novacula guttur perfringat, eoque facto latetur, à poena immunis non erit. Quæ ratio quoque est, quod ejusmodi actionem, quia non simpliciter spontanea est, distincto vocabulo Stagirita vocet *ἄνευ δὲ*, Non spontaneam: Invitum autem per vim ita describit, ut ante monuimus, cujus principium extra est, atque id ejusmodi, ut nihil conferrat, qui agit, aut patitur. Nec inconveniens ad *τὴν μὴ ἐκείνην* referre exemplum Dinæ stupratæ, quæ quidem eo in statu tam fuit, ut vim illatam repellere nequiverit: in culpâ tamen fuit, ut in istum statum perveniret: debebat enim virgo inter ignotos in Terrâ peregrinâ non expatiari.

VIII. Cæterum de iis actionibus, quæ vel metu mali majoris, vel

B

boni

Rechenberg.
Liv. Phil.
Civ. 1, 69.

Exercitat.
CCCVII. 15.

ad Nicom.
III, II, 4.

boni alicujus obtinendi spe suscipiuntur, sintne ille invitis an spontaneis accendenda? disquiritur. Ut quando Gentiles Tyranni propositis exquisitissimis quibusque cruciatibus ad maledicendum Domino & Christo, vel Idolis suffendum adigere voluerunt Christianos, quibus nonnullos succubuisse vel ex Cypriano adparet; Quando item triginta Tyranni, proposita uxoris liberorumve morte Socratem cogere voluerunt, ut innocentem Leonem quendam ad mortem damnaret. Hic ubi tale quid suscipitur, actiones vocantur mixte: quae verò judicante in d. l. Philosopho iis quae sponte aguntur, similiores esse videntur: Sunt enim optabiles tum & eligendae, cum aguntur. Nimirum agere aliquid sponte dupliciter dicitur: vel absolute, vel κατὰ τὸν καιρὸν, pro aliquo tempore. Talia, quae adduximus, cum absolute considerata sine dubio mala sunt, & ut mala cognoscantur non absolute sponte fiunt: Ut verò considerantur *tanquam minus* mala illis quae per haec vitare cogitamus, & minus malum cum deteriori comparatum boni vicem sustinet, sponte quidem fiunt illo temporis articulo, tamque necessario momento. Quod ipsum & plura in hanc rem eximie deduxit Samuel Rachelius, & una ostendit, cur res levandae navis causa in mare projectae Domini maneant; quia nimirum non eo animo eiciantur, quod quis eas habere non velit, sed quod magis cum ipsa navi periculum maris effugiat. Unde & Grotius merito nonnullos populos increpet, quod Leges illorum sint penitus injustae, quibus bona naufragorum Fisco ad dicuntur.

de Princip.
Stat. II. Diss.
1. 5. 16, 17.

J. B. & P. II,
7, 8.

Stromat. II,
p. 397. ab in-
nitio.

Salov. in
Comm. ad
Gen. XX. 3.
& Dn. D.
Zentgra. de
Justitia &
Jure Art. de
Jure Necess.
§. 15. 597.

IX. Abimelechi factum inviti per ignorantiam nomine venire, adeoque illi quod per vim diximus, contradistingui ipsa negotii ratio & responsum quoque Numinis evincit. Igitur omnino huc illud Clementis Alexandrini applico: τὸ ἀκέραιον ἢ κρινεταί. Non judicatur id, quod est involuntarium. Id quod cum eodem momento duplex sit, τὸ γινώσκον μετ' ἀγνοίας, τὸ δὲ ἀνάγκη unum quod sit ex ignorantia, alterum verò necessitate, hoc quod in Abimelecho videmus, priori generi accensendum est. Licet itaque propositum ejus *non omnino fuerit innocens*, quia Saram invitam tulerat, neque adeo, ut monuimus, à peccato absolvi penitus queat, imò *si rem* mortis divinâ voce pronuncietur; quia inquirere potuisset ac debuisset diligentius, antequam animum induceret Saram ducendi, utrum ea juncta esset matrimonio nec ne? Voluntas tamen ejus *quoad hoc libera fuit à malitia*; quod ab intentione Adulteri extitit immunis; Saram enim Abrahami non uxorem sed sororem crediderat, eamque ob causam

te in

se in simplicitate cordis & puritate manuum suarum id fecisse dixit. Neque quidquam sanctior historia aliud insinuat. Quare colligimus fuisse hanc actionem eo respectu *involuntariam*, consequenter, quantum ad hujus præcisè facti imputationem, à peccato excusasse. Consentit nobiscum Incomparabilis Dannhæwerus, qui factum ex ignorantia dicit opus *materialiter* malum, vel in se vel in hypothesi ac circumstantia aliqua: In se, ut ambitus Saræ, quam Abimelech putavit esse cælibem, ac Abrahæ (non uxorem) sed sororem. Benedictio Isaci qui Jacobo benedixit, opinatus se Esau benedicere. Congressus Jacobi cum Lea, putantis se cum Rahele congressi. Solet proinde apud nonnullos Ignorantia dividi respectu influxus in actionem, in concomitantem & efficacem. Illa in intellectu negat eam cognitionem, qua licet præsentis, delinquens nihilo minus fecisset, quod ignoravit. Quorsum pertinet illius exemplum, qui projecto verus canem lapide nocentem percussit, atque ne quidem sic male, ταυτοματον ημων κακια βελουται, dixit. Hæc verò eam negat cognitionem, quæ præsentis actio fuisset impedita. Quam in rem Pufendorfius ipsum hoc Abimelechi exemplum allegat, qui si cognovisset Saram Abrahami esse uxorem, haud quicquam ad eam ducendam abinnum fuisset applicaturus. Versabatur insuper hæc actio circa particularia: igitur reddita fuit invita. Legatur *Thomas prim. secundæ, qu. LX XIV, articulo præprimis tertio.*

X. Interim quod integritatem cordis Abimelecho concedit Deus: illam nec Legalem nec Evangelicam fuisse alibi docetur: fuit tamen moralis, in eo consistens, si homo stando intra spheram naturæ, solo hujus Lumine sine fuce candidè decenterque utitur, & rectæ dictamen rationis cum cura sequitur; Quod ipsum nihil aliud est, quam rectus Naturalium usus: quæ nos phrasæologia dextrè uti possumus, uti Robertus Sanderfonus edito ad h. l. Anglico sermone, egregio tractatu observavit, nisi Romanenses & jam olim Pelagiani eam pervertissent: possemus etiã rectam vocare conscientiam, quo termino gentiles Philosophi nil aliud quam hanc INTEGRITATEM MORALEM intelligunt: non quod homo extra gratiam constitutus in foro POLI rectam habeat conscientiam, Tit. I. 15. sed Moraliter & intra Spheram Naturæ bonam, in quantum infideles, dum Legem non habent, sibi ipsi sunt Lex, parati exilium, tormenta crucem, mortem denique ipsam sustinere potius, quam regulas, notiones & dictamen æquitatis naturalis, quæ cordibus ipsorum impressit Deus, scienter transgredi aut violare.

Danh. Theol.
Conf. Tom.
I. P. 1. p. 62.
Bresser de
Conf. L. O.
c. XII. 447.

J. N. G. G.
I, 3, 10.

XI.

XI. Oritur hæc INTEGRITAS ex Imperio rationis sive potestate, quam Conscientia & Ratio in hominem exercet: pollens officio & vi Legis præscribentis, rectum obliquumque ostendentis, & præmia pœnisque dictantis, Rom, II, 14. Docuit sanè Abimelechum propria Ratio, non vacare injuriâ, quin magnum potius crimen esse, si quis alienam rapiat uxorem: hæc ipsi horrorem adulterii incussit, hæc iram Numinis eidem proposuit: Hæc eum impulit, ut in statum Saræ, nupta ne esset an libera inquireret: Quam tamen suam duxerit domum, ignorans tamen id fecit, & proinde ad animi sui rectitudinem tam confidenter provocavit. Hæc illa est mentis integritas naturalis tot in Gentibus illustrium virtutum moralium (de his enim loquimur), Justitiæ, temperantiæ, gratitudinis, beneficentiæ Mater ac Nutrix.

XII. Quas uti miramur meritò ac suspicimus; ita in ruborem dare nostram aetatem poterant, qui, ut Erasmus alicubi loquitur, tantis & præmiis & exemplis provocati, doctrinam Evangelicam profitebantur nec præstamus. Experti adeò verum esse, quod scribit Augustinus, ex Ethenicorum benefactis acriores addi stimulos ad virtutem, quàm nostratum: cum subito animo, quàm turpe sit id non perspicere Christianum, quod perspicuum est iis, quibus sola Naturæ scintilla prælucebat: non præstare nos qui sub Christi vexillis militamus pietati, qui stipendium immortalitatis ab eodem expectamus, quod præstiterunt ii, qui nihil hominis à se superesse aut suspicati sunt, aut planè crediderunt.

SOLI DEO GLORIA.



XI, A.



XI, A.

